



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

LXI. Epistola Varadati Monachi Ad Leonem Imperatorem. Terræ marisque
& totius generis humani domino, orbis terrarum victori, & piissimo
Augusto Leoni imperatori, pauper Varadatus in Domino salutem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

EPISTOLA VARADATI MONACHI
AD LEONEM IMPERATOREM.

*Terræ marisque & totius generis humani domino, orbis terrarum
victori, & piissimo Augusto Leoni imperatori, pauper
Varadatus in Domino salutem.*

TERRIBILES literas imperii vestri fuscipiens per Eutropium magistrianum, vestra diuinitatis famulum, valde gauisus sum (semper enim gratiam tranquillitatis vestra suscepimus) eo quod * possit potestas vestra sollicita pro sanctis ecclesiis Domini Iesu Christi, cunctisque pauperibus sub vestro imperio constitutis. Propterea enim in omni imperio Romanorum vestram pietatem Deus elegit, conferens vobis intellectum sapientia, sicut scriptum est: *Principium sapientia timor Domini*; quæ sapientes mundi transcendit: quatenus conterat vestra diuinitas eos qui iniquissime conuersantur, & liberet iustos de manibus impiorum. Audiuimus enim quomodo incedunt lupi super greges, & rapiunt oues ab ouilibus suis, & non metuunt a voce pastorum. Quapropter repente, amice Leo, rugies, fiesque illis valde terribilis, & pro metu, Leonis impetum fugientes, quod abriperunt, de suo redimittunt. Sic ergo vestram facere concedet pietatem, vt sicut nomen est imperii vestri, ita prædicetur in toto mundo terribile pietatis vestra decretum, sicut scriptum est: *Secundum nomen tuum Deus, ita & laudatio tua*. Sed & Salomon, Dauid filius, ait: *Similis est ira regis furori leonis*. Et Deus omnipotens glorificauit nomen Leonis super omnia quæ in terra sunt, vt subiiciat omnes volentes extolli contra timorem Dei. Scriptum est enim, quia dixit Deus omnipotens Semei propheta, vt iret ad Ieroboam regem, & argueret eum in quibus deliquerat; dixitque Deus propheta, ne comederet panem, aut biberet aquam in illo loco. Et cum locutus fuisset propheta regi Ieroboam secundum verba dominica, & audiuit verba mendacii; cumque comedisset panem, & bibisset aquam in illo loco,

*psal. 110.
Prou. 1.
& 9.*

psal. 47.

Prou. 19.

3. Reg. 13.

iussit leoni Deus, & deposuit de asino suo prophetam, & discerpit eum, & membratim in via proiecit, eo quod transgressus est præceptum Domini. Dixerat enim ei, ne comederet, aut biberet: & comedit & bibit. Et scriptum est quid fecit leo prophetæ, vsque in hodiernum diem. Sic decet nomen pietatis vestræ terribilia ferre præcepta in omni terra contra omnes qui præsumunt diuina mandata corrumpere. Isti enim sunt filii Timothei, qui latenter egit inique, necauit hominem, & tulit eius vxorem. Et quidem Deus omnipotens eum facerè noluit, sed neque vestra diuinitas hoc perpetrare præcepit: & cum deberent omnipotenti supplicare Deo, vt misereretur eis; & rogare vestræ pietatis imperium, vt eis cederet de sanguine quem habent in manibus; per diuersa discurrunt, fallaciis volentes, sicut scriptum est, multos a fide recta decipere, si potuerint: faciunt etiam electos errare, sicut scriptum est in sancto euangelio. Fides enim hæc recta est & inuicta, vt scriptum est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et ipsum Verbum habitauit in Maria, & sicut legitur, induit corpore * de figmento Dei Patris & Domini nostri Iesu Christi. Et testis est beatus Paulus, quia Christus Iesus de Maria est natus ex semine Dauid in Spiritu sancto, missus a Patre qui in cælis est, vt in mundum veniens & ambulans renouaret omnem carnem in carne sua, & resurgere nos faceret a morte in carne sua; & omnia in eo nobis ostendit. Nam & protoplastus homo ab eius Patre factus est: & propterea postquam periit, in filii vita quaesitus est. Et iterum propter aduersarium diabolum, qui filius noluit fieri lucis, & propterea debellabat homines, & omnem carnem hominis in concupiscentia obligabat, Deus omnipotens facturam suam deperire non voluit, sed misit Spiritum sanctum suum ad Mariam Galilæam, in corpore quod ille deceperat, in quo etiam seducebat inimicus, vt per eum deuinceretur atq; confunderetur. Corpus enim Domini nostri Iesu Christi omnem carnem viuificauit, vt per corpus proprium ostenderet iustitiæ templum. Per ipsum enim sumus liberati, sicut beatus Paulus ait, & Isaias propheta testatur. Cum enim vidisset Dominum Deum, ait: *Væ mihi in labiis iniquis, & Dominum Deum vidi.*

Et

Matth. 24.

Iuan. 1.

Rom. 1.

Luc. 1.

Galat. 4.

Isai. 6.

LEO
P. I.
Et sum
posuit
iniqui
re iub
& Isai
tuit,
vestre
stra tr
in san
Christi
possum
forfic
fuerit
tur. S
& ign
re, &
milit
ad sin
tibus
com
ta bo
Iuda
fed
figm
dit. N
minu
quæ
Sicu
non t
non p
vt in e
poter
Isaias
carne
ex qu
& ind
quam
sicut m
sicut d
bateos
C

ANNO
CHRISTI
457.

Et fumens angelus carbonem ignis ab altari per ferrum, posuit in ore propheta; dixitque propheta angelus: *Transiit iniquitas tua*. Rogamus vestrum imperium, vt ad eos dicere iubeatis, quare per ferrum carbonem sustulit angelus, & Isaias propheta digitis carnis appropinquare non potuit, quoniam vrebantur. Et dicere si nequiuerint coram vestro imperio & victoria, etiam nos quod nobis iussit vestra tranquillitas, dicimus cum veritate, monstrantes sicut in sanctis scripturis de virga ferrea legitur: est enim virga Christus, sicut scriptum est, in igne, & fit ignis. Numquid possunt digiti carnis appropinquare ei, & non vri? Sed per forfices ferreas, quæ similes ferro sunt, & dum per eas tenta fuerit virga ferrea, iam tunc tenet carnis digitis, nec vruntur. Sed etiam & ipsi, qui tenent* in fundum virgã ferream, & ignem qui similis est, in aqua, & tunc possunt digiti tenere, & non vri. Ita factum est & in Ioanne, qui secundum similitudinẽ artificis, tenuit baptizando in aqua Dominum ad similitudinem ignis. Et tunc datum est sanctis sacerdotibus Dei tenere corpus sanctum filii Dei, & non vruntur communicantes hominibus cibum æternum. Legitur: *Vita hominis, panis & aqua*: non est panis, qualem comedunt Iudæi & operarii non credentes, quia vita est hominum: sed corpus, quod intus est filius Dei, ex Maria virgine, & est figmentum Dei, qui est filius Dei, panis qui de cælo descendit. Non enim aqua quæ ex multis est fontibus, vita est hominum, (nam sunt multi aquam non habentes) sed aqua, quæ vita hominũ est, aqua est baptismatis, quæ est ex Deo. Sicut enim virga ferrea fit ignis, & absque forcipe ferrea non tenetur: sic & Verbum quod erat in principio, teneri non poterat, & fieri vita hominum, nisi induisset carnem, vt in eo corpore secundum similitudinem teneretur. Non poterat autem sine corpore hominis hoc teneri, sicut nec Isaias illud tenuit digitis carnis, quoniã nondum indutum carne Verbum Dei. Quomodo enim ostendere poterunt, ex quo est plasmatum Adam, vsque dum venisset Christus, & indutus fuisset carnẽ ex Maria virgine, quia potuit quicumque electorũ tenere Verbum, quod ante luciferum est, sicut multi nunc comedunt? Numquid nõ diligebat Deus, sicut diligit nunc, eos qui in hac generatione sunt? Diligebat eos, & in eis valde gaudebat. Sicut enim sapiens artifex

Ibid.

Psal. 1.

Matth. 3.

Ecccl. 19.

Ioan. 6.

Ioan. 1.

Psal. 109.

Concil. Tom. 9.

D d d

massam fermentat, & non repente eam consperionem permiscet, sed spatio alicuius momenti quiescit, & tunc sumens consperionem, fermentat eam, & ita amicis suis præbet ad comedendum: ita nunc gestum est, vt sufficiant hæc exempla non credentibus. Abraham, cum dixisset Saræ vt faceret fermenti sata tria, non dixit ei nomen, eo quod non erat fermento conspersum. Et cum venisset Deus, & donasset gratiam Patris, ait: *Simile est regnum cælorum homini, qui accepit farinæ sata tria, & abscondit in eis modicum fermenti.* Quis enim prophetarum antiquorum aut nouissimorum dixit, vt misceretur consperioni fermentum, nisi ipse Christus, qui venit vt diuinitas eius voluit, & permiscuit plasma Patris, secundum voluntatem Patris sui, sicut scriptum est: *Veni facere voluntatem tuam Deus?* Scimus enim, quia Verbum in principio erat ante plasma & ante solem, & sic mansit donec hoc plasma opus esset. nam & fermentum mundi ante plasma. Quod autem præsumperunt atque locuti sunt coram vestra serenitatis imperio, sicut didicimus ex his quæ conscripta sunt, quoniam dicunt sufficere sibi Concilium in Nicæna vrbe celebratum, & nequaquam in Calchedonenſi Concilio consentire: exprobet eis vestra diuinitas per sapientiam sanctorum apostolorum, qui dum congregati essent in Ierusalem, præter Paulum apostolum, omnes simul librum Actuum conscripserunt propter fidem Domini Iesu Christi, & permanet in sanctis ecclesiis quod conscripserunt: & post multos annos venerunt ex eis in magnam ciuitatem Antiochenam, & venit simul beatus Paulus ad eos. Et congregatis eis in sancta magnaque ecclesia, surgens beatus Paulus, sicut scriptum est, arguit beatum Petrum coram omni ecclesia. Sic enim dixit Petro: *Si tu, cum sis Iudæus, in præputio viuus, quomodo cogis gentes Iudaice viuere?* Et non contradixit Petrus, & reliqui apostoli, Paulo, sed verba Pauli cum gratia susceperunt, permanentes in vera fide, quæ per Paulum eis adiecta est. Et si isti, qui cum essent lumina mundi, & multo tempore cum Christo Domino conuersati, susceperunt sermonem Pauli, quem in nouissimo Deus elegit: quanto magis debent, qui missi sunt a Timotheo ad vestrum imperium, suscipere doctrinam sancti Concilii, & beati semperque memorabilis Marcia-

Genes. 18.

Matth. 13.
Luc. 13.

Psal. 39.

Galat. 2.

ni, & quaecumque iusta sunt de vera fide Calchedonensi?
Disposita vero nequaquam maligna sua machinatione,
consentiunt in sancto Concilio, & in prophetis, aut in apo-
stolis. Sufficit beatus Dauid exprobrans & confundens
non sentientes suscipere Verbum Dei, quem quotidianis
diebus in suis auribus audiunt. Ait enim Dauid: *Ante so-* Psal. 71.
lem fuit nomen eius. Et quando natus est de sancta virgine
Maria, dixit ei denuo Deus omnipotens: *Ego hodie genui te.* Psal. 2.
Et metuendum est atque terribile, putare mentiri Deum
in sermonibus suis, quibus ait: *Ante solem fuit nomen eius.* Psal. 71.
Et iterum cum natus esset de Maria virgine: *Ego hodie ge-* Psal. 2.
nui te. Sed rursus ait: *In Sion nominatus est, & ipse fundauit* Psal. 86.
eam. Et ipse Dauid in sancto Spiritu ait de seipso: *Dixit Do-* Psal. 109.
minus Domino meo, Sede a dextris meis. Hæc ergo, quæ thesau-
rizauerunt nobis apostoli & prophetae, & iusti habitantes
in montibus & in speluncis, qui placuerunt in conspectu
Dei, ea scripsimus vestrae pietati, ad gloriam Dei & Chri-
sti & Spiritus sancti. Et dudum quidem sancti & venera-
biles archiepiscopi vestrae tranquillitati veram fidem scri-
pserunt, & de Calchedonensi Concilio, (similia enim
sunt coram Deo) & qualis fuit oblatio Abraam prius, &
Iob in medio, & sanctorum nouissime offerentium; ita
suscepit Deus legislationem sancti Concilii prioris & po-
sterioris. Vellem autem, ut iuberet vestra diuinitas cor-
ram se filiis Timothei: Abraam vnum agnum obtulit, & Genes. 15.
suscepit Deus & lætatus est: & Iob septem agnas & septem Iob. 42.
boues, vnam oblationem Deo: & suscepit Deus, & lætatus
est: & sancti apostoli tres panes, qui sunt corpus Christi:
& suscepit. Quid putas dicturi sunt Timothei filii: Similis
est ouis Abraam illis quatuordecim, quas obtulit Iob? An
certe dicturi sunt, quia non fuit similis vna ouis Abraam
illis quatuordecim Iob? Iam nos omnes filii Abraam su- Rom. 9.
mus, vocati in vera fide. Sed Abraam & Iob, qui placue- Galat. 3.
runt Deo, minime hoc baptisma susceperunt. Numquid
nos diuisi sumus ab eis? Absit: sed credimus quia & ipsi &
nos filii sumus omnipotentis. Sic decet credere vestrum
imperium, & veram statuere fidem. Deus enim perfectus
est, & non possunt homines perscrutari diuinitatem eius.
Sicut enim solem non potest quilibet minuere aut muta-
re, sic nec factorem solis poterit in æternum. Hæc cum tre-

more scripsi vestrae pietatis imperio, septima & vicesima die Augusti mensis, anno secundo imperii, indictione decima. Saluto vestram diuinitatem, & omnes diligentes tranquillitatem vestram, & deprecor omnipotentem Deum, vt statuat vestrum imperium longaeuis in hoc mundo temporibus, & in futuro saeculo coram Deo.

ANNO
CHRISTI
431.

I N

CONCILIVM CALCHEDONENSE

oecumenicum seu vniuersale IV.^d approbatum, in quo
e sexcenti triginta episcopi omnes haereses, maxime
f Eutychetis & s Dioscori, h condemnarunt, anno Do-
mini 451. Marciano & Adelphio consulibus, aera 489.

NOTÆ.

Hoc Con-
cilium a
Leone pon-
tificis indi-
ctum est.

Qua occa-
sione?

Imperato-
ris rogatu
pontifex in-
dixit Con-
cilium.

^a *Concilium.*] Hæc sacrosancta Synodus auctoritate sancti Leonis indicta, hortatu, opera, & auxilio Marciani imperatoris congregata, conuocata ac defensa fuit hac occasione. Post obitum Theodosii imperatoris, voluntate sanctæ Pulcheriæ ex senatusconsulto delatum est imperium Marciano. Cum enim nullum præcessisset exemplum, vt Augusta sola moderaretur habenas imperii, ipsaque Deo virginitatem vouisset, iamque ætate grandior esset, vt pote quæ annum quinquagesimum primum vitæ suæ ageret, salubre illud iniit consilium, vt coniugii titulo eueheret in imperium virum ætate maturum, consilio grauem, continentia probatum, atque militari virtute vbique spectatum; sicque optimo imperii regimini opportune consuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati omnino prospectum esset. Nutu igitur ac voluntate diuina electus imperator Marcianus duabus epistolis, quæ extant inter præambulares Concilii Calchedonenfis, ad Leonem scriptis, rogat pontificem, vt ad propulandas haereses, locum, tempus & modum congregandi Concilii vniuersalis præscribat. Priore epistola hæc ait: *Per celebrandam Synodum te auctore maxima pars circa omnes episcopos fidei catholica fiat.* Secunda epistola ad Leonem, quæ extat inter præambulares: *Supereft, inquit, vt si placuerit tuae beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur.* Et paulo post: *Si vero hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum nostra litera dirigantur, vt ad quemdam destinatum locum vbi vobis placuerit, omnes sanctissimi episcopi debeant conuenire, & quæ Christiana religioni & catholica fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.*